



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLVI. Argumentum. Quia sequenter scribunt Historici ex Mulieribus monstra nasci, quæ an baptizanda sint, multi dubitant? idèò in præsentì Decisione referuntur octo genera Monstrorum de quibus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

Baptizati stipem; seu eleemosynam Sacerdoti, quem etiam excipiebant convivio cum Patrinis, S. Gregor. Nazianz. *Orat.* 40. in *Baptism.* quod fuit prohibitum in *Moguntin. Concil.* 2. cap. 16. Et iisdem baptizatis donabantur imagines Agni in cera alba benedicta, ut intelligerent, se propter Agni Christi Domini acerbissimam mortem, pro humano genere obitam, salutaribus Baptismi aquis ablutos fuisse; & studerent, se Christianarum virtutum officia, & præcipue mansuetudinem, quæ in Agno elucet, omnibus demonstrare. Durand. in *Rat. div. offic.* Hinc Romæ servatur mos consecrandi Agnos Cereos per Summum Pontificem primo anno sui Pontificatus, deinde in quolibet septennio, feria tertia Paschæ, & illos solemniter distribuendi Sabbato in Albis, quia eo die noviter baptizati tanquam Agni novelli iisdem sacris imaginibus cereis donabantur. Calalius d. part. 1. cap. 5. pag. 50. & Hierolexic. Magrii *Verb. Agnus Dei.* col. 3. Vide de benedictione Agnorum Dei & ex cera alba purissima, quam facit Papa eruditiones plures à me collectas de *Sacrificio Missæ Decis.* 42. num. 65. Tandem per Notarium fiebat registratio nominum baptizatorum; qui etiam celebrabant Anniversarium diem sui Baptismi, sumpto exemplo à Gentilibus, qui recolebant festum diem *Nominalium*, nempe in quo sibi nomen fuerat impositum. S. Gregor. Nazianzen. *Orat.* 40. in *S. Baptism.* & Tertullian. de *Idololat.* cap. 16. Hierolexic. Magrii d. *Verb. Baptism.* Calalius d. part. 1. cap. 5. & Joseph. Vicecomes de *Antiqu. Baptiz. Ritu.* Hodie Parochi notant diem Baptismi, & valet ad probandam ætatem. Barbosa de *Paroch.* cap. 7. num. 4. Rotapart. 2. recent. decis. 699.

DECISIO XLVI.

ARGUMENTUM.

Quia frequenter scribunt Historici ex Mulieribus monstra nasci, quæ an baptizanda sint, multi dubitant; ideo in præfenti Decisione referuntur octo genera Monstrorum, de quibus in summario, & docetur, quæ sint capacia Baptismi.

SUMMARIUM.

- 1 Centauri, Hippocentauri, seu Onocentauri quidnam sint?
- 2 Fauni, Satyri, & Homines Piloſi an dentur?
- 3 Tritones & Homines Marini an reperiuntur?
- 4 Nymphæ, Nereides, Sirenes, seu mulieres marinæ an dentur?
- 5 Cynocephali qui sint?
- 6 Nani Pigmei, & Pumili homines an, & ubi existant?
- 7 Gigantes an dentur, ubi, & quomodo gignantur?
- 8 Androgyni, & Hermaphroditi qui sint? & unde dicantur?

TEstantur historiae non semel à puerperis edita esse monstra; ideo hæc materia Monstrorum plenè est explicanda; & pro fundamento proponitur Casus: Non puerum, sed Monstrum peperit puerpera. Vocatur Parochus ad baptizandum. Quæritur, quid ei agendum? Pro intelligentia hu-

jus casus, & antequam deveniatur ad ejus resolutionem, cum ex Philosophis, Medicis, & Historicis plura scripta fuerint de Monstris; ne Parochos lateant ea, quæ naturam, causas, & qualitates Monstrorum attingunt; & ut facilius discernere, ac judicare valeant, quid sibi faciendum circa administrationem Baptismi, si aliquando casus baptizandi aliquod monstrum eveniat; placuit sequentia dubia, breviter tamen proponere, & dilucidare.

DUBIUM I.

An dentur Centauri, Hippocentauri, & Onocentauri.

Centaurosum nomine censentur Monstra illa, quæ habent externam speciem hominis proportionate; & pro alia medietate Bestiæ: adeo ut monstra illa, quæ referunt speciem semihominis, & semiequi, appellantur Hippocentauri; quæ verò semihominis, & semiasini figuram portant, Onocentauri dicantur. Hæc monstra reperiri alii negant, alii affirmant, alii dubitant.

Quod non dentur hæc monstra in rerum natura autumati sunt Tullius lib. 1. *Tuscul. Quæst.* & lib. 2. de *Natur. Deor.* Lucretius Poeta lib. 4. Solinus cap. 13. Seneca lib. 8. *epist.* 59. Galenus lib. 3. de *Usurpat.* & Justinian. Imper. in *Institut. tit. de inutilib. stipulat.* §. 5. ibi: *Aut si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dare stipulatus fuerit, veluti Stichum, qui mortuus sit, quem vivere credebat, aut Hippocentaurum, qui esse non possit, inutilis erit stipulatio.* Idem docent Celsus, Accursius, & alii DD. in l. *Si ita stipulatus.* 97. de *Verb. obligat.* Ac tenuit S. Augustinus lib. 18. de *Civit. Dei* cap. 13. ibi *Fabula ficta sunt de Triptolemo, &c. De Minotauris &c. De Centauris, quod equorum, hominumque fuerit natura conjuncta.*

Dari autem Centauros, Hippocentauros, & Onocentauros arbitrati sunt ex scriptoribus antiquis Plinius lib. 7. *natur. Hist.* cap. 3. Ælian. lib. 17. cap. 9. *Hist. Var.* Plutarch in *convivio Sapient.* & S. Hieron. in *Vita S. Pauli Primi Eremitæ* cap. 6. ubi refert, Divum Antonium euntem ad invisendum S. Paulum, obvium habuisse Hippocentaurum in deserto, à quo sibi iter fuit ostensum; quamvis dubitaverit, an fuerit Diabolus. Sed Scriptura Sacra in *Isaia* cap. 34. *Vers.* 14. ait: *Et occurrent Dæmonia Onocentauris, & Piloſus* (id est, Satyrus) *clamabit alter ad alterum.* Ex modernis verò scriptoribus hanc opinionem tenet Aldrovand. in *Hist. Monstror.* cap. 1. de *Homine.* Deltius *Comment.* in *Hercul. Oeteum.* Joan. Euseb. Nierimberg. lib. 5. *Hist. Natur.* cap. 8. Georg. Stengelius de *Monstris* cap. 2. §. 17. Theatrum vitæ humanæ *Verb. Monstrum.* Torreblanca lib. 2. cap. 32. Majolus in *Dieb. Canicul. Colloq.* 2. & alii, quos citat, & sequitur P. Calpar Schottus in *sua Physica Curiosa* lib. 3. cap. 1. §. 2. ductus attestationibus, & exemplis Aristot. lib. 2. de *Hist. animal.* Plinii lib. 7. *Hist. Natur.* cap. 3. Olai Magni lib. 21. *Hist. Septentr. in Proem.* & in cap. 1. & Pindari *Oda Pyth.* 2. ubi affirmat in Thessalia circa Montem Cælium quandam Virum nomine Centaurum se commiscuisse cum equabus, indeque sobolem utrique parenti similem fuisse editam, Matri infernæ, Patri superenæ, ideoque Hippocentaurum vocatam, nempe natam ex Equâ, & Centauro.

Dubitant verò de veritate utriusque opinionis Ælian. lib. 17. cap. 9. *Hist. Animal.* Cardin. Baron.

Anno

Anno 343. & alii apud Lælium Bisciol. lib. 12. Horar. subscisv. cap. 4. putantes, esse potius Potetarum figmenta, & vanam simplicis popelli persuasione, derivatam ab inspectione prima sessorum in equis, quos medios homines, & medios equos stantes à longis existimaverint; quod quidem accidit R. P. Aloylio Carniolo Soc. Jesu religiosissimo Viro, & mihi, 25. ab hinc annis, iter simul habentibus occasione Visitationis hujus Dicecesis, in montibus septem Communium, ubi à longè aspeximus virum quandam carbonarium stantem, & habentem à pedibus usque ad ventrem sellisterium sibi inhaerens; adeò ut ex abscondita inferiori media parte corporis, videbatur esse Centaurus, & nobis risus causam dedit.

Affirmativam opinionem credimus veriozem ob multiplicia Historiarum exempla, de quibus idem Schottus d. lib. 3. cap. 1. §. 2. lib. 5. cap. 27. Vers. Seminis confuso. Ubi ita scribit: In peruviana Historia regionis illius locis finis eximia magnitudinis cum mulieribus comiserit; indeque oriri Monstra capite, & pudendis humanis; manibus verò, & pedibus finis, reliquoque corpore hirsuto, sine voce articulata. Et ex alio succellu relato per Fortunium Licetum, (olim Lectorem in hoc Archigymnasio Patavino, & Magistrum meum) in suo libro de Monstris lib. 2. cap. 68. nefarium quandam se commiscuisse Vacca, & ex ea generasse, non Vitulum, sed puerum; qui fuit baptizatus, & Christianam pietatem colebat; solitus tantummodo ruminare herbas, & pascere prata. An autem Hippocentauri, & Onocentauri, si nascantur, sint baptizandi, dicemus infra in responsione ad Casum.

DUBIUM II.

An dentur Fauni, Satyri, & Homines Pilosi?

DE Satyris, Faunis, & Pilosis animalibus, speciem humanam præferentibus, frequens est memoria apud antiquos auctores, Plinium lib. 7. cap. 2. Plutarc. in Vita Scyllæ, Diodorum Siculum lib. 1. Biblioth. de Ofrid. Alian. lib. 16. S. Hieronym. cap. 7. in Vita S. Pauli Eremitæ; & Isaiam cap. 13. Vers. 20. & d. cap. 34. Vers. 14. & alios relatos per eundem P. Schottum in Physic. Cur. d. lib. 3. cap. 2. Et ex modernis de iisdem animalibus mentionem faciunt Nieremberg. lib. 5. Hist. Natur. cap. 9. Giral. Hist. Deor. Syntag. 15. Delrius lib. 2. Disqu. Magic. q. 27. sect. 2. Natal. Comit. lib. 5. Mytholog. cap. 8. Theatr. Vitæ Human. Verb. Satyrus, & Torreblanca lib. 2. Disquisit. Magic. cap. 33. Qui omnes censent dari quidem Faunos, Satyros, & Homines Pilosos, sed esse animalia sylvestria salutationibus, & venereis turpibus actibus propensa; ut ex Alberto Magno notat Nieremberg. d. lib. 5. c. 9. quæ quidem absque dubio expertia sunt ratione, & incapacia Sacramenti Baptismi.

DUBIUM III.

An dentur Tritones, & Homines Marini?

TRITONES, seu Homines marini sunt homines Pisciformes, qui nascuntur in mari; Oceanus enim non minus, quam Terra est ferax Monstrorum, & de his mentionem faciunt Plinius lib. 9. Hist. Nat. cap. 5. Alex. ab Alexandro lib. 3. Genial. Dier. cap. 8. Gelsner. de Aquatilib. 4. Nic. Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.

remberg. d. lib. 5. cap. 14. Et Ramusius tom. 1. Navigat. refert in Littore Æthiopico, ultra bonæ spei Promontorium fuisse repertum Piscis cadaver homini persimile, homine tamen longè magis procerum, cui cutis erat squamis contexta, capilli durissimi. Et Olaus Magnus lib. 21. cap. 1. tradit. In Norvegia Oceano marina quædam monstra esse, quibus est humana facies, simul cum Monachorum cuculli quadam similitudine. Petr. Hispanensis part. 1. cap. 22. refert ad Renatum Regem allatum fuisse Marinum hominem. De alio testatur Guicciardin. in descriptione Belgii. Anno 1523. tertio die Novembris repertum fuit Romæ in Ripa majore marinum Monstrum hominiforme usque ad umbilicum, deinde Piscis bifida cauda, in semilunæ speciem recurva. Alia exempla habentur apud P. Schottum d. lib. 3. cap. 3. ubi ponit quatuor effigies, & de his non est dubitandum, esse irrationabilia animalia, & nullatenus baptizanda.

DUBIUM IV.

An dentur Nympha, Nereides, Sirenes, seu Mulieres marinae?

HI nominibus significantur marina monstra feminea, quæ frequenter in Oceano visa, & reperta sunt; Pisces scilicet speciem humanam ostentantes, sed elegantissima forma ad instar mulierum. Describuntur à P. Athanasio Kircherio in Itinere exstatico 2. Dial. 3. cap. 1. pag. 623. his verbis: Cerne caput hujus femella, longa quadam Casarie, at minimè pilosa, sed in cirros quosdam carnosos, & pulposos distensa, vestitur. Vides faciem quidem pulchram, oculorum vivacitate decoram, & blandam; sed qui ad decoris complementum unice desiderabatur, naso destituta. Brachia solitis hominum longiora; manusque non in digitos more humano discretas, sed adinstar pedum anserinorum cartilagine interceptas, ad natandum à natura sic constitutas. Aspicere rotundas, & tumidas mamillas; quam candore niveo pectus, venterque niteant; quanto splendore coruscant. Sexus tamen discrimen ob caudam piscis, eamque prelongam, cum qua corpus terminat. De his speciosis monstris marinis loquuntur Plinius Nat. Hist. cap. 5. Alex. ab Alexan. lib. 3. Genial. Dier. cap. 8. Majolus in Dieb. Canic. colloq. 9. & Schottus d. lib. 3. cap. 4. §. 1. & seqq. ubi §. 3. observat, Sirenes alias esse aquatiles, alias volatiles, quæ ex Pausania, & Suida in Mari prætereuntium aures cantilenis suis demulceant, & in mortis discrimen adducant: unde Ovidius lib. 3. de Arte amandi cecinit:

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admittas detinere rates.

Cæterum apud Batavos fuisse Sirenem, quæ didicerat formare Crucem, venerari Christi Imaginem, & multa muliebria munia obire refert idem Schottus d. lib. 3. cap. 5. §. 3. Nihilominus non est credendum habuisse animam rationalem, quia & Phytici, & alia aves discunt fari, & simia solent crucem formare, & alia servitia facere; ideoque reputandæ sunt incapaces Baptismo supradictæ omnes Sirenes, Nereides, & Nympha. Tandem paucis ab hinc annis vidisse in Mare Æthiopiarum Piscem Mulierem appellatum; formæ scilicet staturæ, speciei similis mulieri, cum mamillis, brachiis, manibus, quinque digitis, & coxis, excepto capite, & pedibus, illud enim erat, quod habet Tinea, hi verò

K

resol-

resoluebantur in cauda piscium, testatur R. P. Johannes Antonius Cavatius Capuccinus in *Historia Regnorum Congi, Matamba, & Angola lib. 1. n. 132*. Typis data Bononiæ anno 1687, ubi sculpta ejus imago inspicitur.

DUBIUM V.

An dentur homines Cynocephali?

Homines Cynocephali sunt illi, qui habent caput caninum, & hos reperiri in India, & in Tartaria magna referunt Plinius lib. 7. cap. 2. Alianus *Histor. Anim. lib. 4. cap. 46*. Marcus Polus lib. 3. cap. 18. Vincent. Belluacens. lib. 3. *Specul. Histor. cap. 11*. & S. Augustin. lib. 16. de *Civit. Dei cap. 8*. & Isidor. lib. 11. *Etymol. cap. 3*. Porro Schottus cit. lib. 3. cap. 6. putat plures tabulas de his Cynocephalis esse confictas; & potius ex astutia, & vafritia alicujus nationis, eidem caninam fuisse faciem impactam. Quod si daretur casus de baptizando canicipite adulto, esset advertendum, ad vocem humanam, an intelligentiam, & usum rationis haberet. Quod si esset recens natus, omniaque alia membra humana haberet, & præcipue pectus, & cor; periculumque esset in mora, posset baptizari sub conditione, si homo esset; ut dicemus cum Theologis infra. Plures Cynocephalos ortos refert Fortunius Licetus lib. 2. de *Monstris cap. 58*. ex Auctoribus ibidem per eum allegatis.

DUBIUM VI.

An dentur homines Nani, Pygmaei, & Pumili?

Nanos quotidie videmus etiam in regionibus nostris, præcipue apud Marchiones, Principes, & Reges; etsi non ita parvos, ut erat ille apud Ducem Bavarie, de quo refert P. Schottus d. lib. 3. cap. 7. §. 1. quod in Convivio ejusdem Cellitudinis fuit Nanus ipse armatus cum brevi hasta, & gladio accinctus, inclusus in artocreate vulgo *Pasticcio*, & sic portatus in Mensa: cumque Dapifer artocreas frangeret, inde Nanus erumpens, & stricto gladio super mensa, gladiatorum in morem saliens, omnibus risum, & admirationem intulit. Aliorum Nanorum pusillam staturam narrat Nierimberg. *Hist. Nat. lib. 5. cap. 16*. quos ipse in Aula Regis Hispaniarum viderat. Et Cardanus lib. 11. de subtil. asserit, se vivente circumferri solum in Italia virum perfectæ ætate, cubiti longitudine, in Plytaci cavea. Ego quoque Romæ vidi in domo unius ex Principibus dictæ Almæ Urbis Nanum ita pumilem, ut cum quid mali, vel insolentiæ alicui faceret, loco carceris reponebatur in cavea ex filis ferreis, & lignicolis constructa; quæ eundem inclusum, tanquam Plyttacum, in Aula suspensa continebat. Porro Nanos esse homines rationales, & capaces Baptismi quisque videt.

De Pygmaeis varii varia scripserunt. Horum esse magnum numerum in superiori Ægypto, unde Nilus profluit, scribit Aristoteles lib. de *Hist. Animal cap. 12*. Plinius *Natur. Hist. lib. 4. cap. 11. lib. 5. cap. 29. lib. 6. cap. 19. & cap. 30. & lib. 7. cap. 2*. Pomponius Mela lib. 3. de *Situ Orbis*, agens de Sinu Arabico, & Arabia urbibus ait: *Fuere interius Pygmaei, minutum genus, & quod pro satis frugibus contra græves dimicando defecit*. Idem scribit Alian. lib. 15. de *Animal. cap. 29*. & ex modernis Scriptoribus Nierimberg. lib. 5. *Hist. Nat. cap. 16, & 18*. & alii ex navigationi-

bus in Indias nostri, & præteriti sæculi, relati per Schottum d. lib. 3. cap. 7. §. 2. testantur reperisse, & vivisse Pygmaeorum nationes; & Pygmaeos dari concedit Licetus de *Monstris lib. 1. cap. 12*. E contra negant dari Pygmaeos Strabo lib. 2. *Geograph. Albertus Magnus, Cardanus, Aldovrandus, & alii apud Schottum d. cap. 7. §. 3. qui §. 4. eodem confutat, confirmando existentiam Pygmaeorum ex Scriptura Sacra, ubi Ezechiel cap. 27. Vers. 11. in descriptione Tyri Urbis ait: Filii Arabii cum exercitu suo erant super muros tuos in circuitu: sed & Pygmaei, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi compleverunt pulchritudinem tuam*. En igitur Pygmaei à Titus vocati, & collocati in Turribus tum ad tutelam, quia erant eximii sagittarii; tum ad pulchritudinem; nam ad urbis majestatem, & splendorem maximè facit præfidiariorum è variis nationibus electorum numerus. Ita Nierimberg. d. lib. 5. cap. 18. Igitur his stantibus, censendi sunt Pygmaei capaces Sacramentorum, tanquam homines rationales, etsi pumili.

Nihilominus P. Kircherus in *mundo Subterraneo lib. 8. sect. 4. cap. 4*. agens de demonibus subterraneis, qui solent apparere in regionibus septentrionalibus, & caliginosis, sub forma Nanorum, putat hos esse Pygmaeos. Sed à sententia Schotti non est recedendum, munita tantorum Auctorum, qui à testibus oculatis intellexerunt Pygmaeos veros homines existere, ultra Sacrae Scripturae auctoritatem.

DUBIUM VII.

An dentur Gigantes.

Affirmat Moyses in Sacra Genesi cap. 6. vers. 4. ibi: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Et isti sunt potentes à sæculo viri famosi, ubi Cornelius à Lapide ita scribit: Burgensis putat gigantes fuisse demones humana specie indutos. Valesius putat gigantes fuisse filios demonum incuborum. Philo putat homines sceleratissimos vocari gigantes. Sed certum est, gigantes fuisse homines monstrofa statura, robore, latrociniis, & tyrannide insignes. Et paulo post subdit: Gigantes maximè generati sunt ex filiis Seth hi enim vocantur Filii Dei qui integerrimis erant viribus, & jam à primæva integritate degenerantes, summo amore, ardoreque libidinis, toti in terram, & ventrem projecti, filiabus Cain (hæ enim vocantur filie hominum) utpote pulcherrimis agglutinati sunt. Fecit enim libido, ut natura in iis omnem suam vim, & extremum potentia sua exfereret; & ita vastissimi, ac validissimi homines prognati sunt. Vide hic, ut robur aquæ, ac virtus vel vitium parentum in proles transfundatur. Rectè cecinit etiam Poeta Horatius lib. 4. carm. 4.*

*Fortes creantur fortibus:
Est in juvenis, est in aquis patrum
Virtus, nec imbellem ferocem
Progenerant Aquila columbam.*

Et de hoc vide infra Decif. L. n. 6. Exploratores quoque reversi à terra Sancta dixerunt populo Hebræo: Num. cap. 12. vers. 34. *Populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est: ibi vidimus monstra quadam filiorum Enach de genere Giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur. Et omisiss pluribus aliis attestacionibus Scripturae Sacrae de quibus in Bibl. Concordan. nota est statura Gigantea Goliathi*

Goliathi Gethæi Palestini, quem occidit David. 1. Reg. 17. 4. Quare relictis fabulis de Atlante, de Bryareo, de Polyphemo, de Orione, & similibus, dari Gigantes testantur Pompon. Mela lib. 3. de Situ Orbis cap. de India. Solinus in Polyb. cap. 5. Plinius lib. 7. cap. 16. S. Augustinus de Civit. Dei cap. 9. ubi Ludovicus Vives affirmat vidisse dentem molarem S. Christophori in ejus Templo, pugno majorem. Plurima autem exempla hominum giganteæ stature horum temporum, præcipue in Indiis Orientalibus, & Occidentalibus refert ex fidissimis testibus P. Schottus in sua Physica Curiosa d. lib. 3. cap. 8. ubi §. 6. subdit, caulam, cur Gigantes nascantur, proscriptis tabulis, & commentis Judaicis, esse semen utriusque genitoris copiosum, crassum, calidissimum, spiritibus affluens, & seri expert. Alia pariter exempla non injucunda recitat Antonius Masinus Bononiensis in Schola Christiani cap. 35. de reperiis gigantum cadaveribus, & ossibus; quorum unum Cranium capiebat modium tritici. Hos igitur esse baptizandos, quatenus fidem amplectantur Christianam, nemo inficiabitur.

DUBIUM VIII.

An dentur homines Androgyni, & Hermaphroditi.

Androgyni sunt Mari-fœminæ, participantes utrumque sexum, sic dicti ab ἀνδρ, quod virum, & γυνή, quod mulierem significat. Hermaphroditæ verò dicuntur à Mercurio, quem Græci vocant Ἑρμῆς, & à Venere, quam iidem ἀφροδίτη dicunt; quoniam Venerem à Mercurio compressam autumant, talem prolem genuisse, quæ sexum utrumque participat. De horum existentia ita scribit Aristoteles lib. 4. de Generat. Anim. cap. 4. Nonnulla etiam duplici genitali, altero maris, altero fœminæ nascuntur. Plinius lib. 7. cap. 2. & 3. & Nierimberg. Hist. Nat. lib. 8. cap. 6. notat, plures Hermaphroditos in Virginia Americæ Provincia nasci; & Schottus in cit. lib. 3. cap. 10. recensitis Historiographorum, & Medicorum testimoniis, subdit, unum fuisse Hermaphroditum, qui tanquam fœmina nupsit Viro, ex quo filios, filiasque peperit, & nihilominus ancillas comprimebat, & ex iis generabat: quem commemorat etiam Licetus de Monstris lib. 2. cap. 53. ubi narrat anno 1561. in Scotia fuisse Androgynam, quæ hæcili filia uterum implevit. Similem fœminam ego comperi in Visitationibus hujus Diocesis Patavinæ, cujus maritus attestabatur mihi, eandem ultra vas fœmineum, habere etiam virile membrum, quo ipsa alias fœminas comprimebat, de qua etiam mentionem feci in meis Decisionibus de Penitentia Decis. 43. num. 6. Causam hujus monstruositatis nonnulli referunt in influxum syderum, dicentes tunc præcipue Androgynos formari in utero materno, quando fit conceptus tempore conjunctionis Mercurii, & Veneris in signis bicornibus, cujusmodi sunt Gemini, Virgo, Sagittarius, & Pisces. Sed verius est Hermaphroditarum causam provenire ab ubertate materiæ feminæ in utroque genitore; qua effusa facultas formatrix æqualibus viribus in utramque materiam incumbit, & sic in uno, eodemque fœtu utrumque sexum imprimit. Ita Majol. Colloq. 3. ex Alberto Magno lib. 18. de Animal. tract. 2. cap. 3. Quando autem Hermaphroditæ possint

Doct. Clericali Tom. 1. Liber 1.

contrahere Matrimonium vel Sacros Ordines sumere, non est hic locus decidendi; videantur Doctores in 1. Quaritur. ff. de stat. homin. Moralistæ de Sacram. Ordin. & Matrim. & ex Theologis Maftrius in 4. sentent. disp. 7. num. 427. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Ordin. disp. 9. num. 13. nec non prædicta mea Decis. 43. de Penitentia, in qua copiosè tractavi hanc materiam de Hermaphroditis, declarando varia genera eorumdem, & signa à Medicis tradita ad cognoscendum, an prævaleat sexus masculinus, vel fœmininus ad effectum tum succedendi in fidei-commis, tum recipiendi Ordines Ecclesiasticos, vel contrahendi Matrimonium. Satis enim est hic docere, non esse difficultatem circa Baptismi collationem sive baptizetur tanquam mas, sive tanquam fœmina: imò si sexus cognosci non possit, potest imponi nomen sive masculinum, sive fœmininum ad arbitrium baptizantis, eò quia (ut diximus suprâ in Decis. 44. num. 11.) sunt rationes, & Doctores pro utraque opinione; apud Gobat de Baptism. tract. 2. num. 338. & 339. nec non num. 429. ubi advertit ex Soto in 4. sent. dist. 1. q. 5. art. 8. Vers. Postremum denique; cuidam fœminæ in proventa ætate prominuisse foras sexum masculinum; & plurimas consimiles mutationes de fœminis in mares narrant Tiraquell. de Leg. Connu. l. 1. num. 100. & 101. Delcius Disquis. Magic. lib. 2. q. 22. docentes è contra non reperiri apud aliquem, quod vir mutatus fuerit in fœminam, quia natura tendit ad id, quod est perfectum. Et si Licetus de Monstris d. lib. 2. cap. 54. relatis pluribus exemplis puellarum, quæ sexum masculinum sunt postea assuecæ, subjungat etiam masculos fœmineam naturam induere posse, ex testimonio Ausonii Epigram. 68. cui tamen obstat illud vulgare: Pistoribus, atque Poetis fuit semper fingendi potestas. Porro si daretur casus, quod Monialis professa mutaretur in virum, ipsa egredi deberet Monasterio; & ducere posset uxorem, quia vota facta de castitate servanda tanquam fœmina, non sunt extendenda ad statum masculinitatis, nisi renoventur, ut dixi in d. Decis. 43. de Penitentia, & scribit Diana part. 5. tract. 14. resol. 49. Quæ sedet in Coord. tom. 7. tract. 1. resol. 341. ubi allegat Texedam, & Torreblan. pro se contra Portellum. Et Pignatellus tom. 4. consil. 34. ubi ait, nostra ætate Affili hunc casum evenisse; & probat, professionem fuisse ab initio invalidam, quia Monialis ab initio erat vir, quamvis non constaret de sexu virili, tanquam abscondito, & in natura sub membranis retento; qui postea vi caloris naturalis foras erupit, quando facta est mutatio sexus; & de hac penis eruptione agit copiosè idem Licetus d. lib. 2. cap. 54. & ex Doctrinis Medicorum prædicta mea Decis. 43. de Penitentia, non absque magno studio extensa.

DECISIO XLVII.

ARGUMENTUM.

Declarantur aliæ plures species Monstrorum in Summario nominatorum. Quaritur an Diabolus possit mutare homines in bestias, & quot, ac quibus modis. Disseritur de Nabuchodonosore transmutato in bestiam. Referuntur partus numerosi variarum Mulierum.

K 2

SUM-